



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CCCXV. Bischof Dietrich unirt die Pfarre zu Klein-Kreuz mit dem Bauamte des Domes, am 25. Mai 1377.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

Brandenburgensis pro procuracione sibi ratione visitationis debita, quando voluit et vellet eam in pecunia recipere numerata, nos etiam, insuper habita deliberatione, vestris instantiis annuentes et dictorum predecessorum vestigiis inherentes concedimus vestre caritati, quod cum officium visitationis vobis impendimus, volumus dicta summa contentari, si receperimus procuracionem predictam in pecunia, et promittimus vobis, imperpetuum ultra dictam summam minime recepturos. Testes hujus rei sunt venerabiles viri et domini: Nicolaus Plönis, noster in spiritualibus vicarius generalis, magister Nicolaus Bernardi, nostre curie officialis, Apetzko, in Berlin, Wernerus, in Bernowe prepositi, Johannes de Schulenborch, in Brytzen, Nicolaus Scykow, in Vrankenvelde plebani, nostre dyocesis, et quam plures alii fide digni. Ad perpetuam memoriam et corroboracionem nostrum majus sigillum duximus appendendum. Actum et datum Zeiefere, anno domini millesimo CCC°. LXX°. septimo, dominica, qua in dei ecclesia Letare Jherusalem cantatur.

Nach dem Original.

**CCCXIV.** Das Domcapitel bestellt Procuratoren bei der päpstlichen Curie für einen Prozeß wegen der Pfarre zu Markow, am 13. Mai 1377.

In nomine domini Amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, Indictione quinta decima, tredecima die Mensis mayi, hora tertiarum vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Gregorii providentia pape undecimi Anno septimo, In loco capitulari ecclesie Brandenburg. in mei notarii publici et testium infra scriptorum presentia personaliter constituti venerabiles viri domini Hentzo prepositus, Bertramus Prior Totumque Capitulum ecclesie Brandenburgensis ejusdem ordinis Premonstratensis propter hoc congregati et Capitulum facientes pro se et quolibet eorum constituerunt et fecerunt honorabiles viros dominos et Magistros Theodericum de puteo, Johannem de Gudensperge, Franciscum Voltz, Henricum Wernerheri, In romana Curia procuratores absentes tamquam presentes in suos veros et legitimos procuratores in solidum, Ita quod non sit melior conditio occupantis Sed quod unus eorum inceperit alter prosequi poterit et finire, Ad impetrandum in Romana curia quolibet litteras — in causa seu causis quam vel quas ipsis constituentibus conjunctim vel divisim movet seu movere intendit Nicolaus Scharrow Clericus ut dicitur Camynens. Diocef. de et super ecclesia parrochiali in Markowe, predictae Brandenburgensis Diocef. et ejus occasione etc.

**CCCXV.** Bischof Dietrich unit die Pfarre zu Klein-Kreuz mit dem Bauamte des Domes, am 25. Mai 1377.

In nomine domini Amen. Thidericus, dei et Apostolice sedis gratia episcopus Brandenburgensis ad perpetuam rei memoriam. Cum fabrica seu structura nostre ecclesie Brandenburgensis nimium est collapsa et ruinofo indigens reparacione et reformatione atque ipsius redditus et proventus non sufficiunt. Ad ejus igitur reparacionem reformationem et pro tempore meliorem conservatio-

nem, habita cum fratribus nostris preposito et Canonicis ecclesie Brandenburgensis diligenti deliberatione, Premissoque communi et sollempni tractatu, ecclesiam parochialem in parva Crutzewitz nostre Diocesis ex justo vero et legitimo titulo ante centum et quinquaginta annos et per tanta tempora, cuius contrarium in memoria hominum non existit, Ad dictos prepositum Canonicos et capitulum rite et legitime pertinentem, ut evidenter comperimus, Eidem fabrice seu structure, attenta ipsius pregrandi necessitate, de expresso consensu nostri capituli unimus et annectimus. Volentes et concedentes, quod predicta ecclesia cum omnibus iuribus et pertinentiis suis de cetero perpetuis temporibus ad dictam fabricam seu structuram pleno jure tam in spiritualibus quam temporalibus debeat pertinere, per dicte fabrice seu structure magistrum, seu eius vicarium de consensu et consilio eiusdem prepositi et Capituli regenda, disponenda et gubernanda. Ad perpetuam huius rei memoriam, ac evidens testimonium, presentes litteras nostri sigilli fecimus appensione communiti. Et nos Hentzo prepositus et Capitulum Brandenburg. ad premissa matura deliberatione et tractatu communi et sollempni prehabitis consensum nostrum adhibuimus et presentibus adhibemus. In cuius signum presentes litteras sigillorum nostrorum una cum prefati domini nostri Episcopi sigilli appensione roborantes. Actum et datum in urbe Brandenburg loco Capitulari dicte nostre ecclesie Brandenburg. anno domini millesimo CCC°. LXXVII., die beati Urbani pape et Martiris.

CCCXVI. Der Prediger Arnold in Bornewitz bekundet, daß er auf seine Stelle resignirt habe, am 6. Juni 1377.

In nomine domini. Amen. Anno nativitatis eiusdem M.CCC.LXX. septimo, die sexta mensis Junii, hora vesperarum vel quasi, indictione quinta decima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, domini Gregorii, divina providentia pape undecimi anno septimo in urbe Brandenburg in oenaculo estivali domini prepositi Brandenburgensis coram honorabili viro domino Hentzone preposito Brandenburg., ad quem autorizabilis institutio sive collatio ecclesie parochialis in villa Bornewitz Brandenburg. dyoc. pleno jure spectare dinoscitur, et in mei notarii publici subscripti et testium subscriptorum presentia personaliter constitutus dominus Arnoldus, dictus de Bornewitz, presbiter Brandenburg. dyoc., deliberatione prehabita, sponte confessus est et viva voce retulit, quod olim dictam ecclesiam in Bornewitz tunc suam cum iuribus suis et pertinentiis universis in manibus domini Ottonis, tunc prepositi Brandenburg., ad quem dicte ecclesie autorizabilis institutio tunc spectabat, spontanea voluntate pure, libere et simpliciter resignavit et a cura et ministracione et regimine ipsius ecclesie sponte cessit, nichil in ipsa ac in premissis et singulis eorundem penitus reservando. Quam resignationem et cessionem sic factam idem dominus Otto prepositus legitime tunc recepit et admisit. Acta sunt hec anno, die, mense, hora, etc. quibus supra, presentibus honorabilibus viris: domino Nicolao Dochow, canonico ecclesie Brandenburg., Hinrico Dammeker, proconsule in veteri civitate Brandenburg. aliisque fide dignis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Ac ego Jacobus B...bart, clericus Brandenburgensis dyoc. publicus auctoritate imperiali notarius etc.

Nach dem Originale.